

# PHILIPPO TERTIO

HISPANIARVM, ET NOVI ORBIS RE-  
GI CATHOLICO MAXIMO, ET INVICTISSIMO,

cuiusque Supremi, & Augustioris Prætorii Præfecto, & Consi-

liariis integerrimis, Hieronymus de

Zeuallus S.



*N*ter præclaras, & excelsas animi dotes, quibus optimum Principem præ-  
ditum, & ornatum esse oportet (inclite, & potentissime Rex) nulla excel-  
lentior, nulla præstantior, nulla, ad se, suosque conseruandos, sic apprimè  
utilis, & necessaria, quàm iustitiæ cultus, & obseruatio. Non inficior sanè,  
duas esse potissimum artes, in quarum studium Reges incumbere, quas  
perdiscere, in quibus versari, vel soleant, vel debeant; vna militaris, &  
bellica, per quam hostilis, & externa iniuria propulsetur; altera ciuilis, & vr-  
bana, & quo-  
dammodotogata, per quam ciuitates optimis legibus, institutisque temperata, concordia, o-  
tio, opibus, & virtute florant. Adeò ut præclare à Platone dictum sit, Regem illum esse vel-  
uti mancum, ac debilem, qui bellum quidem gerere sciat, pacem autem agitare nesciat: Li-  
curgumq; grauius reprehendit, quod Lacedæmoniorum leges omnes, quarum ille Scriptor,  
& Auctor fuit, ad bellum, & ad bellicam virtutem retulerit, nullas ferè ad vitam in otio,  
ac pace degendam compararit. Quapropter antiquissimi illi Poëta, non aliam (opinor) ob  
causam, Palladem armatam sinxerunt, quàm ut significarent, in Regibus, & rerum publi-  
carum moderatoribus, bellicam virtutem cum sapientia coniunctam, & copulatam esse o-  
portere:

Alterius sic

Altera poscit opem res, & coniurat amicè.

*Nec enim bonus pastor iudicandus esset, qui lupum à grege viriliter, & robuste posset arce-  
re, gregem verò benè pascere nesciret: sed vel propter incuriam, vel negligentiam, vel pro-  
pter inficitiam, macrescere, contabescere, atq; interire pateretur. Cum igitur hæc duo sint, ut  
Polybius dicebat, quibus omnis Respublica seruetur, in hostes scilicet fortitudo, & domi con-  
cordia, hanc, quæ in ciuili, & politica gubernatione, & iustitiæ cultu consistit, alteri præua-  
lere, & in Principem magis desiderabilem, & præstantiorem esse non ambigo. Clamet licet ille  
Romani maximus Auctor Tullius eloquij, qui prudentiam militarem imperatoriam esse vir-  
tutem, & cæteris omnibus antependendam iudicauit. Sed vel suo ipsius testimonio conuince-  
tur, qui 2. officiorum, Mihi quidem, inquit, non apud Medos (vt ait Herodotus) sed  
etiam apud maiores nostros, seruandæ iustitiæ causa, videntur olim benè morati  
Reges constituti. Quod & Musarum alumnus Hesiodus, Gracè quidem, sed in hunc sen-  
sum, ante cecinerat:*

Hæc vna Reges olim sunt sine creati;

Dicere ius læsis, iniustaque tollere facta

Nihil itaque tam egregium (ait Plutarchus in Demetrio) tamque proprium Regis esse  
videtur, quàm iustitiæ opus: Mars enim, vt Timotheus inquit, tyrannus est; lex autè  
omnium Rex; iuxta Pindari Poëtæ sententiam: atq; Reges, vt inquit Homerus, non  
expugnatrices vrbiū machinas, æratasq; naues; sed iustitiā à Ioue sumptam ex-  
ercere, custodireque decet. Finis ergò veri, & legitimi principatus, iustitiæ perpetua, &  
constans obseruatio est, ex qua falix ciuium status, verapax, & tranquillitas oritur. Ar-  
tes verò bellicæ, & militares, alienæ sunt, & externæ; nec aliter, quam illius finis conse-  
quendi gratia, necessariò, aut laudabiliter exercentur. Iustum enim bellum (vt Histori-  
corum vberimus Lilius) quibus necessarium: & pia arma, quibus nulla, nisi in armis  
relinquitur spes. Ideòq; vbi Respublica quiescit, & fortuna secunda florens, omnium rerum  
vbertate circumfluit, otiosa ille omnino, & inutiles sunt. Vrbanæ verò, & politica disci-  
plina, nec tum temporis vacant: quinimò cum eis tempus, & ocium publicum, cum rebus  
secundis